

Letter 70: 13 January 1521, Wittenberg, Felix Ulscenius to Capito

The text of the letter is printed in K. Hartfelder, ed. *Melanchthoniana paedagogica* (Leipzig, 1892) 112-15.

S. D. Cum omnium vitiorum longe absurdissimum censeatur ingratitude, animum tibi gratias agendi utcunque insumpsi, qui me ad tale gymnasium miseris, quale non in ulla orbis parte reperiri arbitror. Illum perbenigni enim animi esse oportet, qui eum, a quo vix beneficii repensationem speres, beneficio obruis. Quidnam magni de te, dulcissime praeceptor, merui? Ne stipulam quidem. O me felicem te mihi fautorem obtigisse! Quid maius a diis optassem, quam fidelem in terris parentem, qualis est mihi nunc, ceteris omnibus modis praecellentiorem. Nolo autem unquam tibi in mentem veniat beneficium in [gr.] ton kai ten agnomon [sic] contulisse; olim largissime, fortuna cum me arriserit, vicem rependam. Cum interim non parum ad laudum Capitonis cumulum afferat te praeter admirandam linguarum scientiam benignitate haud vulgari esse condecoratum adeoque in omnes esse [gr.] au . . . tatos¹, syncerum te esse ac candidum [nemo] fere te non praedicat, tametsi quidam haud parvi nominis vir, ut ipse putat, per te quoque benigne nuper exceptus, Erasmm ipsum et te apud Ertfordienses traduxit, vos nimium dixit [gr.] thopeuein. Dracus ille Ertfordiensis haec mihi, dum Ertfortium pertransirem, retulit. Qui cum Oebano [sic], illa² audientes, vos defenderunt, summae hoc esse prudentiae, non etiam [gr.] te thopeia adscribendum. Philippus vero qua fide tibi astrictus et quam nominis tui studiosus sit, argumento est eius humanitas, qua erga nos humanissime utitur.

Lutherus ille, vir in literis divinis tractandis vehemens, cui sedulo ausculto, finem iam fecit secundae decadis totius Psalterii; Evangelia secundum tempora dominicalia praelegere statim aggressurus est, contiones habet alias liberrimas, quarum ne unam quidem Melchior Zobel et Remboldus, suavissimi conturberniones, negligunt, eorumque vitam eiusmodi conformem foeliciter instituunt, adeoque exultantes se vixisse in eum diem, quo Lutherum videre eiusque evangelicam doctrinam audire contigit.

Nos tres simul adhuc domuncula quadam utimur, Philippi tum publicas tum privatas audientes praelectiones, ut sunt: Paulus ad Rho., Virg., *Nubes* Aristophanis et interdum orationes Ciceronianas [sic]. Quem statim Zobel et Remb. ad se recepturum arbitror, tametsi non multum periculi sit timendum, si minus eveniat. Mos enim Philippo est suos discipulos frequenter ipsum accedere oportere, raros mehercle se extra aedes spectandos praebent, existimantes iuxta Mercurium [gr.] pros ten chelyon dictum: [gr.] *oikoi belteron einai, epei blaberon to thyrephi*.

Deest enim studiosis, quicquid a literis eos avocare posset: locus inamoenus, populus incultus, haud splendidae mensae, et quod potissimum alienat a Musis, Bacchus ignotus est. Quae etsi ultro sese offerrent, ea ab ipsis (crede mihi) exemplo ceterorum tam nobilium quam aliorum honestorum adulescentium contemptum iri, adeo arrident Wittenbergensibus bonae literae. Sumptus apud eruditum et honestum doctorem faciunt, ubi pulchre de literis concertari solet. Ego vero quam possum parcissime victito, ne magnos in sumptus mei causa involvaris; in rem erit communem, si me illis commendaveris.

Excusus est apud nos Dialogus, cui titulus Hochstratus et Leo³, quo tu perstringeris, sed Philippus . . . dialogus.⁴ Vale, observandissime praeceptor, et dn. Marquardum de Hadtstein,

¹ Illegible.

² Del. Ubi; ms. and Hartfelder: ubi illa.

³ Perhaps read 'Leus.'

⁴ Two lines cancelled and rendered illegible.

virum imaginibus ac eruditione clarum, ac Ulrichum Varenbuhler, hominem iudicii acerrimi, meo saluta nomine.

40 Wittenbergae ex contubernio nostro mense Ianuarii XIII an. XXI.
Felix Ulssenius [gr.] sotatos.